



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata ut
Sacramento, & ut sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-unctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De forma Baptismi. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

se infertur, sed soluta per accidens. Secus est ex immersione infantis in flumen, vel puteum: ex hac enim per se directe, & necessario mors infantis succedit. Non igitur esse potest licita. Et ita sufficienter ex communi sententia Suar. disp. 20. sect. 3. Valq. disp. 145. cap. 3. in fine. Egid. de Coninch. q. 66. art. 7. dub. 1. n. 75. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. q. 4.

13. Hinc infertur non esse secundum matrem aliis proximè morituram, vt infanti in vtero illius existenti ministrari baptismum possit, quia nemini licet homicidium perpetrare, tametsi inde plura bona nascantur. Sic Egid. de Coninch. disto. dub. 1. n. 75. affirmans esse omnium.

14. Ex his constat, quid dicendum sit, an tibi liceat baptismum infanti proximè morituro ministrare, ex cuius ministratioe cognoscis mortem accelerandam esse? Respondeo primo cum doctoribus statim referendis casum mortaliter esse impossibile: nam cum baptismus minima aquæ re facta effusione confici possit, vix credi potest ex ea mortem accelerandam esse. Sed gratis admissio accelerari, respondeo baptismum administrandum esse. Tum quia non per se, sed per accidens ex illa actione mors succedit, cum per accidens sit prædicta baptismi ministratioe baptizandum in ea esse dispositione, vt actio ita humana, & temperata illi nocere possit. Tum quia nocumentum illud ita leue contemnendum est, ne baptizandus in æternum pereat. Sic tanquam certum tradit Valq. disp. 145. cap. 3. in fine. Egid. de Coninch. q. 66. art. 7. dub. 1. n. 76. in fine. Paul. Laym. alius relatu. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. q. 4.

P V N C T U M V.

De forma Baptismi.

1. Statuitur forma baptismi.
2. Opus est ad baptismum exprimi personam baptizantem.
3. Negat Valq. exprimi sufficienter, si dicas: baptizet te Deus, vel baptizetis à Deo.
4. Probabilius est oppositum.
5. Secundum ad baptismum requiritur expressio persona baptizanda.
6. Ex unitate persone baptizanda unitas baptismi desumitur.
7. Quoties possunt plures unum baptizare.
8. Tertio requiritur expressio ablutiois.
9. Quarto necessaria est expressio unitatis, & Trinitatis diuina.
10. Sufficitne implicite Trinitatem exprimere? Affirmant plures.
11. Probabilius est oppositum.
12. Explicentur aliqua loca scripturae, qua contrarium fundere videntur.
13. Explicatur Nicolaus in cap. à quodam de consecrat. disp. 4.
14. Affirmant plures sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque baptismum valide confici posse, tametsi non licite.
15. Probabilius est oppositum.
16. Fit satis oppositio rationibus n. 14. adductis.
17. Quæ variatio forma essentialis sit, quæ non late expenditur.
18. Variatio forma consecratiuæ diuina aduersus illicita est.

1. **F**orma baptismi, qua Ecclesia Latina vtitur hæc est. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic Alexand. 3. in c. 1. de Baptismo. Concilium Florent. in decreto Eugenij. Trident. sess. 7. can. 4. & sumitur ex illo Math. cap. ult. Docere omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sic omnes doctores. Ex qua forma manifestè colligitur quatuor exprimi necessario debere, primo baptizantem, secundò baptizatum, tertio actionem baptizandi, quarto unitatem, & Trinitatem diuinarum personarum.

2. Circa primum certum est ad baptismi essentiam opus esse exprimi personam baptizantis, non tamen esse necessarium, vt expressè, & formaliter exprimat, sufficit implicite, sicuti manifestè probat vsus Græcorum baptizantium sub ea forma. *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quam esse veram formam baptismi docent omnes Catholici. Adde si omisso pronomine Ego, dices, *te baptizo*, non est dubium veram formam baptismi proferre, quia satis aperte sub verbo baptizo significatum pronominis subintelligitur. Hoc pronomen etsi nunquam omitendum sit in Ecclesia Latina ob consuetudinem præscriptam, non videtur culpam venialem excedere secluso contemptu, eius omisso, teste Soto in 4. dist. 3. q. vnic. art. 5. quod se Valq. disp. 142. n. 30. Egid. de Coninch. q. 66. art. 6. dub. vñ. n. 25.

3. Sed dubium est, an sufficienter minister baptizans se exprimat, si dicat: *baptizet te Deus, vel Christus, baptizetis à Deo, vel Christo?* Negat Valq. disput. 142. cap. 2. num. 19. & cap. 3. n. 27. Mouetur primò, quia ibi solum exprimit Christum, vel Deum baptizare, non tamen se illius nomine baptismum conferre. Secundò, quia forma baptismi non deprecariue, sed imperatiue proferenda est: at in Deum imperium diri-

gi non potest, ergo nequit minister imperando dicere *baptizet te Deus*. Item inepè Deum baptizare potest in nomine Patris, id est, authoritate Patris, &c. sed id ministro conuenit. Non igitur per illam formam validus baptismus confici potest.

4. Cæterum oppositum probabilius censio cum Soto in 4. dist. 3. q. unica, art. 5. colum. 5. Henric. lib. 2. cap. 8. n. 3. Suar. disp. 21. sect. 2. concl. 2. Egid. de Coninch. q. 66. art. 6. dub. vnic. n. 38. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 3. vers. quapropter. Nempe supradicta forma stante actione baptizandi sufficienter exprimi personam ministrum, verumque confici baptismum. Etenim cum potestas delegata sit à Christo Domino docendi gentes, & baptizandi eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, exprimens minister, vt Deus eas baptizet clarè denotat vt Deus per illum eam ablutioem exerceret tanquam per suum ministrum baptismi: sicuti si à principe quis accepit potestatem distribuendi aliquam pecuniam, in quibus vellet, & cum illam distribuit, diceret, hanc pecuniam princeps tradidit vobis, sanè non solum sui principis donationem, sed suam propriam ministerialem traditionem significaret. Ex qua ratione constat imperium hæc forma significatum, quod propriè imperium esse non potest. Sed vsus absolutus potestatis concessæ circa creaturas irrationales non ad Deum, sed ad ablutioem, & effectum per ipsam significatum dirigitur, præstaturque hunc effectum, abluaris à Christo tanquam à principali causa, & sacramentorum authore & à me tanquam eius ministro, Secundum hunc vltimum sensum non inepè dicitur Deum in nomine suo baptizare, quatenus scilicet baptizat medio ministro per potestatem illi collatam.

5. Secundum ad essentiam baptismi requisitum est expressio persone baptizande: si enim illam nec speciatim, neque generalitè exprimas, directè nullus est baptismus. Quia nulla esset formæ determinatio, sicuti, si diceres. Ego baptizo in nomine Patris. Ad baptismum enim necessario requiritur expressio, & determinatio persone baptizande, vt ex ea expressioe satis constet neminem esse ipsum, sed alium à deo, & factum baptizare. Quod fieri non potest, nisi speciatim seu generalitè directè tamen persona baptizanda exprimat. Exprimatur autem speciatim, si dicas. *Ego te baptizo, Ego baptizo Cuius generatim, si sub forma Græcorum baptismum conficias, vt si dicas: baptizo seruus Christi, seruus Christi baptizetur.* Sic testatur ex communi sententia Valq. disp. 151. c. 3. Suar. disp. 21. sect. 2. concl. 3. Henric. lib. 2. cap. 8. num. 4. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 4. num. 2. vers. secundo accidit. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 2. sumiturque ex illis verbis Math. ult. Baptizantes eos, & clarè colligitur, ex Concilio Florent. & Trident. locis sæpe citatis.

6. Aduertendum est unitatem baptismi potius ex unitate persone baptizande, quam baptizantis desumi: si enim sub vnicâ Trinitatis inuocatione plures aqua perfunderes, plura baptismata conficeres, quia sunt plures ablutioes, & licet physice, & formalitè vnicam Trinitatis inuocationem feceris, virtualitè fecisti multiplicem, multiplicemque formam baptismi constituisisti. Secus vero est si te ipsum plures baptizarent, quia eo casu vnica tantum baptismus conficeretur, quia vnica est ablutio. sic Valq. disp. 148. c. 7. num. 52. Bonac. disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 22. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. vers. ex quo.

7. Sed non caret difficultate, qualiter possent plures vnum baptizare? Etenim si inter eos actiones diuidantur, ita vt vnus abluat, alter formam proferat, manifestum est baptismum confici non posse, de cuius essentia est, vt ab eo, qui proferat formam, ablutio fiat. Si vero vterque & formam proferat, & aqua baptizandum perfundat, subdistinguentur est si vterque independenter ab altero baptismum conficere intendit, sicuti contingit in ordinatione, cum plures sacerdotes simul cù Episcopo verba consecrationis proferunt, vterque conficere eundem baptismum, sicuti eandem hostiam consecrat, si vterque verba formæ in eodem instanti perficit: quod raro contingere potest. At si posterius perficit formam, nihil faciet, quia inuenit iam baptismum ab alio confectum, sicuti contingit in eo, qui posterius verba consecrationis perficit, hic enim materiam non consecrat, cum eam consecratam inueniat. Verum si vterque intendat non conficere sacramentum, nisi dependenter ab alio, nullo modo baptismum conficere possunt, quia sensus formæ à Christo institutæ mutatur. Non enim est verum te baptizare, sed te cum alio baptizare. Neque est verum tuam ablutioem, & formæ prolationem esse sufficientem, sed potius esse insufficientem, nisi alterius ablutio, & prolatio formæ concurrat. Quæ omnia contraria sunt institutioni Christi determinantis vnus ablutioem, & formæ prolatione baptismum confici posse: sic docent D. Thom. q. 67. art. 6. & ibi Coninch. dist. 1. Valq. cap. 5. n. 39. Valent. disp. 1. q. 2. punct. 2. Suar. de sacram. disp. 23. sect. 3. Bellarm. de baptism. cap. 3. Bonac. alius relatu. disp. 2. q. 2. punct. 4. num. 25. Paul. Laymann. lib. 5. tract. 2. cap. 7. q. 2.

8. Tertium quod diximus ad baptismum requiri, est expressio actus ablutiois à ministro pronouentis legitima intentione facti, iuxta illud Christi, *baptizantes eos*: nisi enim

exprimeres abluentione intentione saltem virtuali baptizandi, seu conficiendi sacramentum, baptismum conficere non posses. Vnde baptismus non est, si exprimeres te puerum laauere refrigerandi causa absque illo animo baptizandi: sic ex omnium sententia tradit Valq. disp. 142. cap. 2. m. 10. Egid. de Coninch. q. 66. art. 6. dub. vn. concl. 1. n. 41. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. q. 2. pun. 4. n. 4. & alij apud ipsos colligiturque aperte ex Concilio Florent. decreto de Armenis, & tradidit Alexand. 3. cap. 1. de baptismo. Supradicta intentio baptizandi satis exprimi censetur, si exprimas abluentionem sub inuocatione Trinitatis.

9. Quartum, & precipuum requisitum ad baptismum est expressio vnitatis, & Trinitatis diuine iuxta illud Math. ult. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Etenim cum dicitur in nomine vnitatem personarum exprimis, cum subiungis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, personarum Trinitatem declaras. Neque alter collatus baptismus validus esse potest, vt colligitur manifeste ex can. 49. Apostol. & ex cap. si re vera. cap. multi sunt. cap. in synodo de consecrat. dist. 4. & pluribus exornat Valq. disp. 143. cap. 3. Suar. disp. 21. sect. 3. Ratio sumitur ex Christi institutione, congruentia ex eo quod baptismus sit ianua, per quam in Ecclesiam Christi ingredimur. Decuit ergo precipuum istius mysterium in eo exprimi, siquidem necessarium est explicari Trinitatis notitiam haberi.

10. Sed an haec expressio vnitatis, & Trinitatis ita sit necessaria, vt baptismus collatus sub forma implicite Trinitatem, & vnitatem significante validus sit? Difficultate non caret, nam grauissimi Patres, & doctores Ecclesiae sententiam validum esse baptismum sub nomine Iesu Christi, vel Dominus ministrum: sic Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 9. & ex eo Nicolaus. responsio 104. ad Bulgaros, & refertur in cap. a quodam Iudaeo de consecrat. dist. 4. ibi, si hi in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legitur baptizati sunt (vnum quippe, idemque est, vt S. Ambros. exponit) constare eos non esse deuo baptizandos. Idem tradidit expressis Bernard. epist. 340. Beda in c. 10. Actor. Magist. a. dist. 3. Hugo de sancto Victore. lib. 2. de sacram. 6. cap. 2. Adrian. de baptismo q. 2. vers. ad rationes. Caiet. 2. 2. q. 66. art. 5. & 6. Mouentur ex eo quod Apostoli in nomine Christi baptismum conficiebant, vt dicitur Act. 2. n. 38. & cap. 8. n. 12. & cap. 10. n. 48.

11. Verum contraria sententia multo verior est scilicet inualidum esse, & semper fuisse baptismum collatum absque expressione vnitatis, & Trinitatis diuinae: sic docent plurimi patres, quos plena manu recentent Valq. disp. 143. cap. 2. & 3. Suar. disp. 21. sect. 3. Bellarm. de baptismo. cap. 3. & colligitur aperte tum ex verbis Christi Math. ult. baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vt quid enim Christus Dominus vnitatem, & Trinitatem expressit, si haec expressio necessaria non esset? Tum ex cap. si re vera, cap. in synodo & alius de consecrat. dist. 4. Notanter dixi inualidum esse, vt semper fuisse, ne consentirem opinioni asserentem tempore nascentis Ecclesiae ministratum esse baptismum ex dispensatione in nomine Iesu ob illius commendationem: sicuti docuit D. Thom. q. 66. art. 6. ad 1. Athosdoren. Alexand. Bonauer. Ruar. Duran. Paludan. Maior. Gab. relati a Valq. dist. 143. cap. 1. n. 3. Nam materia, & forma sacramentorum variationem non suscipiunt; alia sacramenta non essent ritus firmi, & permanentes. At si tempore Apostolorum baptismus sub diuersa forma ministraretur, ac modo ministratur baptismus a Christo institutus firmus, & stabilis non persistisset. Quod si eo tempore sub expressione Trinitatis sicut & modo ministrari posset, & etiam sub expressione Iesu Christi tantum, non vnicus baptismus, sed duplex esset institutus, quod nullatenus est dicendum.

12. Quocirca cum in actibus Apostolorum dicitur Apostolos in nomine Iesu Christi baptizasse, non inde colligitur Patrem, & Spiritum sanctum exclusisse, sed baptizasse in nomine Patris, & Filij (expresso nomine Iesu Christi) & Spiritus sancti. Alias cum Paul. 1. Corinth. 12. dixit in vno Spiritu omnes baptizati sumus, colligi posset solo inuocato Spiritu sancto absque inuocatione Patris & Filij baptismum ministratum esse, quod est falsissimum. Et confirmari potest satis probabiliter haec doctrina ex illo Act. 19. vbi Paulus credens aliquos baptizatos esse, eosque interrogans an Spiritum sanctum accepissent per impositionem manuum alicuius Apostoli in sacramento Confirmationis, ipsique respondentibus; neque si Spiritus sanctus est, & audiuius; subiungit Paulus miracus, in quo ergo baptizati estis? Quasi diceret, si baptismo Christi, & non Ioannis baptizati estis, quomodo Spiritus sancti notitiam non habetis, cum baptismus a Christo institutus sub nomine Spiritus sancti confertur? Sente ergo Paulus baptismum Christi nemini conferri posse, nisi expressa vnitatis, & Trinitatis diuinae personarum. Neque obstat baptismum sub nomine Dei, vel Trinitatis collatum eundem sentum, eademque significatione habere, ac collatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vt inde colligas

hanc Trinitatis, & vnitatis expressam significationem non esse de substantia baptismi. Nam esto in aliis sacramentis id verum habeat, in hoc sacramento non procedit, sed modum etiam significandi ad eam pertinetur consensus ob auctoritatem Ecclesiae sic interpretantis verba Christi. Math. ult. Neque ratio congruens deficit, cum hoc sacramentum sit Ecclesiae ostium in cuius introitu expedit professionem fidei claram, & expressam fieri.

13. Neque obstat autoritas Nicolai relati in cap. a quodam cui varie doctores respondent. Sed ea explicatio germanior est, quae asserit Nicolaum, vt Pontificem solum definire baptismum collatum a Iudaeo sub debita forma repetendum non esse, eo quod a Iudaeo fuerit collatus, quia de hac questione interrogatus fuerat. Quod vero sub expressione Trinitatis, vel Christi baptismus collatus sufficiens fuerit non decidit, sed supponit opinioni Ambrosij, & aliorum doctorum adhaerens, immemore definitionum Pelagij, & Zachariae Pontificum, quae referuntur in cap. si re vera. cap. multi. cap. in synodo de consecrat. dist. 4.

14. Quaestio igitur satis inter doctores controuersa est, an ad baptismi essentiam sufficiat exprimi Trinitatem sub verbis aequipollentibus, v.g. sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque? Affirmant & satis probabiliter Caiet. quest. 66. art. 6. & Victoria de baptismo quest. 14. Ledelm. 1. p. 4. quest. 7. art. 5. dub. ult. proposit. 2. eamque probabiliter reputant, saltem speculatiue loquendo ferè omnes doctores in sententia referendi. Mouentur, quia Trinitas iis vocibus significatur, & eodem modo ac significatur Patris, Filij, & Spiritus sancti, si quidem non confusè, sed explicite Trinitatem declarant, ergo constituunt verum baptismum. Quod vero minus clarè iis Trinitas exprimitur, in causa esse non potest, vt verum baptismum non constituant, quandoquidem in re significata, & in modo significandi explicito, & non consulo contentiunt cum vocibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Alias baptismus non esset, si loco Filij nomen Verbi, aut Iesu Christi exprimeres, & loco Spiritus sancti nomen Paracliti. Et loco Patris nomen principij, & originis totius Trinitatis. Item non esset baptismus, si lingua ignota audientibus Trinitatem proferres, quae admittenda non sunt. Ergo ad essentiam baptismi sufficit Trinitatem exprimi verbis aequipollentibus.

15. Nihilominus secunda sententia negans sufficere ad essentiam baptismi Trinitatem exprimi verbis aliis aliquoties aequipollentibus, qualia sunt praedicta verba genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, vt potè communis, & tuta omnino amplectenda est. Etenim negari non potest iis vocibus, vt potè inuistatis non aequè explicite personas Trinitatis significari ac vocibus Patris, Filij & Spiritus sancti, quia non tam significant ipsas personas secundum earum institutionem, quam secundum earum originem. Porrit autem Christus Dominus velle baptismum non alia forma conferri, validumque esse, quam collatum sub vocibus communiter notis, & personas Trinitatis directè, & formaliter significantibus. Ergo potuit velle, vt baptismus collatus sub nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque inualidus esset, vt potè collatus sub vocibus notis tantum hominibus aliis doctis, & eruditis, neque formaliter personas Trinitatis, sed earum origines, & notiones significantibus. Quod vero sic factum sit, euidenter constare non potest. At probabilissimè colligitur tum ex eo quod Christus Dominus Math. ult. praecipit sub vocibus illis notis Patris, Filij, & Spiritus sancti baptismum conferri, aliàs superflue eas voces exprimeret, si necessariae non essent; poterat enim praecipere baptizare gentes sub nomine trium personarum diuinarum. Tum quia baptismus est sacramentum Fidei, quo baptizati in fide initiantur, eamque profitentur. Expediebat ergo proponi eam fidei professionem sub vocibus vulgaribus, & communibus, & aequè indoctis ac doctis notis. Ergo baptismus sub alia forma collatus inualidus est. Et ita sustinet D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. & 6. quem sequuntur ferè omnes expositores teste Suar. disp. 21. sect. 4. Henric. lib. 2. cap. 9. ad finem. Valq. disp. 144. cap. 2. & 3. Egid. de Coninch. q. 66. art. 6. dub. vn. concl. 4. n. 54. Bonac. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 12. Paul. Laymann. lib. 5. sum. tract. 2. c. 4. n. 4.

16. Neque obstant rationes prioris sententiae oppositae Nam esto voces genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque conueniant tum in re significata, tum in modo explicito, significandi cum vocibus Patris, Filij, & Spiritus sancti, quia tamen illa conuenientia non est perfecta, siquidem non aequè explicite significant ob ea, quae nuper diximus, ea de causa à forma sacramenti baptismi excluduntur. Neque inde fit baptismum ministratum sub voce Iesu Christi quid quid dicat Valq. disp. 144. cap. 4. n. 15. Inualidum esse, quia vox Iesu Christi satis explicat tum personam Filij, tum eius humanam, & diuinam naturam De illis vocibus Verbi, Paracliti, & Principij idem existimo dicendum ac de vocibus genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, quia videntur aequè ignora, neque personas Trinitatis formaliter significare, sed earum origines. Quod vero nomina personarum Graeca lingua, Hebraea, Latina

rina, aliòque idiomate proferantur, nullatenus pertinet ad essentiam baptismi. Quia baptismi essentia tantum petit eius formam proferri sub illis vocibus, quæ eo idiomate, quo proferuntur sumptæ expressæ, & distinctè personas Trinitatis significant.

Illud est certum baptismum ministratum sub forma genitoris, geniti, & procedentis ab utroque esse ad minus dubium, ac proinde sub conditione repetendum. Sic Valq. Suar. Bonac. Laym. loca allegati.

17. Ex supradictis deciditur, quæ variatio formæ essentialis sit, & irritativa baptismi, quæ non? Equidem variatio formæ, ob quam non satis unitas, & Trinitas exprimitur essentialis est, & irritativa. Vnde si sub nominibus, & non sub nomine trium personarum baptismum conferas, inuallidè baptizas, quia non exprimis diuinam unitatem. Sic communiter doctores. Dubium est, si dicas. Ego te baptizo sub nomine Patris, & sub nomine Filij, & Spiritus sancti, an satis exprimas unitatem trium personarum? Negat Bonac. alii licet falsò relatis *disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 5.* quia tacitè indicat sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptismum conferri: illa enim repetitio nominis illius multiplicationem denotat. Sed contrarium verius censeo, quia illa repetitio non potius multiplicat, quam unitatem, & identitatem denotat. Sed æque est indifferens, sicuti cum repetis nomen Dei, cum singulas personas diuinas pronuncias, non obeinde deitatem multiplicas, Sic Egid. de Coninch. *q. 66. art. 6. de vnic. conclus. 5. n. 58.* Paul. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. n. 5. q. 3.* Suar. *disp. 21. sect. 3. vers. sed quid.* At si loco nominis appones nomen virtutis, & autoritatis, baptizaresque in virtute Patris, & Filij, & Spiritus sancti, incertum est, an baptismus esset, quia nomen virtutis, autoritatis, & potentie non satis unitatem essentia significare videtur, latiusque patet vox illa *In nomine*, quam vox in virtute maiestate, & autoritate. Illud vero certum est baptismum ministratum sub ea forma, scilicet cum Patre, Filio, & Spiritu sancto inuallidum esse, quia sola Trinitas, non unitas exprimitur. Secus esset, si baptizares in vno Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, vel in vnum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vel per vnum Deum Patrem, & quia his vocibus & unitas & Trinitas diuina satis exprimitur, Valq. *disp. 143. cap. 5. circa finem.* Paul. Laym. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. q. 3.*

Deinde si Trinitas sanctissima personarum in forma baptismi non exprimitur vel non exprimitur distinctè, hoc est sub nominibus vulgaribus, & communibus Patris, Filij, & Spiritus, probabilius est baptismum non confici, vt dictum est. Quocirca si diceres: Ego te baptizo in nomine Trinitatis, vel in nomine Dei vnus, & trini nequaquam baptizares. Idem si diceres in nomine Patris, Filij, & Gratia, Spiritus sancti. Sicuti audiui quandam obstertricem sapiens infantes baptizasse: quia gratia Spiritus sancti unitatem non habet cum Patre, & Filio, neque cum ipso Spiritu sancto. Sed est res creata ab ipsis distincta.

Quando autem per transpositionem verba mutantur retento eodem sensu, vt contingit in hac oratione. *In nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti ego te baptizo*, manifestum est accidentalem esse mutationem, neque obinde valorem baptismi impediri: quia est idem planè significatum, & modus significandi. Ad idem est, si diceres. *Ego te baptizo in nomine Spiritus sancti, Patris & Filij.* Quia & Trinitatem, & unitatem vulgaribus vocibus exprimis. Sed huic dicto non acquiesco: potius crederem hanc mutationem substantialem esse, quia non significas Spiritum sanctum, qualis ipse est, sed qualis non est. Significas enim spiritum sanctum esse Patris, & Filij principium, cum tamen à Patre & Filio procedat. Laymann. *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. n. 6. vers. Porro in fine.* Denique ex dictis tract. præcedenti petendum est, quando aliæ mutationes ex interruptione, additione, vel mutilatione verborum irritum sacramentum reddant. Quia generalis doctrina huic sacramento specialiter applicanda est.

18. Hoc usque de nullitate baptismi ob variationem formæ locuti sumus, at si de licito vtu loquamur, certum est quamlibet variationem consuetudini, & vsui Ecclesiæ aduersam graue peccatum esse, & præcipue si inde oriatur dubium valoris sacramenti. Solum aduerto absque graui peccato, imò sæpè absque vilo administrari posse hoc sacramentum vulgari lingua: nam esto consuetudine introductum sit, vt omnia sacramenta lingua Latina administrantur, hoc tamen sacramentum, quia sæpè ob eius necessitatem à feminis rudibus, & inductis administratur, cessat obligatio illud lingua Latina administrandi, & vulgari lingua administrari poterit, & sic conuenientius est, vt periculum erroris abst. Sic Sotus in *4. dist. 1. q. 1. circa 4. conclus. vers. in mutatione.* Victoria de *facram. q. 18.* Bonac. alii relatis *disp. 2. q. 2. punct. 4. n. 17.* Paul. Laymann *lib. 5. sum. tract. 2. cap. 4. n. 6.*

1. Homo viator extra vterum matris existens est subiectum capax baptismi.
2. Non est secunda mater, vt infans baptizetur. Excipe nisi secundum leges morte esset digna, & crederetur sectio infanti profutura.
3. A puncto natiuitatis quilibet est capax baptismi.
4. Non excluditur monstrum, dummodo homo sit.
5. Filiis infidelium rationis vsam habentibus, si petant baptismum, concedi debet parentibus venientibus.
6. Si dubium sit de rationis vsu, baptismus differendus est.
7. Baptismus quacumque ratione conferatur, in validus est.
8. Infantes etiam per iniuriam baptizati segregandi sunt à parentibus infidelibus adueniente rationis vsu.
9. Filius hereticorum ministrandus est baptismus.
10. Proccidit conclusio, casu quo separari à parentibus possunt.
11. Consentiente quolibet ex parentibus infidelibus baptizari infans potest.
12. Proccidit ratio dubitandi, qualiter Filii infidelium reprobis parentibus baptizari possunt.
13. Tenentur esse communi sententia negans.
14. Excipi debet primo casus extrema necessitatis.
15. Secundo excipi debet perpetuò amens.
16. Neque est baptismus omittendus est, tamen si parens agere se non timet. Non tamen est vis parenti inferenda.
17. Tamen excipiuntur Filii à parentibus segregatos.
18. Quis Filius seruus seu parentis serui.
19. In his euenibus, quibus licet potes supradictis filiis ministrare baptismum, affirmat Valq. te obligatum esse.
20. Contrarium est probabilius non semper te esse obligatum.

Nemini est dubium subiecto baptismi solum esse hominem viatorem, quia pro solis illis sacramenta sunt instituta. Debet tamen extra vterum matris natum esse saltem secundum aliquam sui partem, vt baptismi capax existat, quia dum ibi est inclusus, abui immediatè, & in seipso non potest, quod ad baptismum necessarium est, vt bene docet D. Thom. *serm. ab omnibus receptus q. 68. art. 11.* Quod si inde inferas Deum pro his infantibus nullum statuisse remedium facile respondeo, negando nullum statuisse, si quidem martyrio saluari possunt. Secundo admitto nullum remedium pro his secundum illum statum instituisse. Neque hoc est inconueniens, quia Deus obligatus non fuit, neque deuit singulis hominibus pro omni tempore, & conditione, qualibetque occasione, & circumstantia remedium salutis prouidere, & adiuuantes in peccato mortali existentes remedium habere debent.

Neque ob horum à regno cælesti exclusionem vitandam secunda est mater aliàs morte non digna, vt sic facta baptismus ministrari possit. Quia non sunt facienda mala, quale est homicidium, vt inde proli eueniant bona. Quod si mater ad mortem damnata sit, timeaturque si differatur supplicium vsque ad partum prolem in vtero morituram, poterit eo casu seruato iuris ordine mater fecari, quia nec matri irrogatur iniuria, cum non auctoritate priuata, sed publica occidatur, & proli summum concedatur beneficium. Sed sic casus est moraliter impossibilis, siquidem ex occisione matris malus periculum proli imminet, quam imminere potest ex partus expectatione. Adde vix cognosci posse hoc mortis infantis periculum, ob quas causas legibus statutum est executionem sententiæ mortis mulieris prægnantis differendam esse vsque ad partum. *leg. prægnantis. ff. de Penis, & pluribus exornat. Couarruu. 4. variat. cap. 4.* Matre vero occisa, vel mortua, si creditur infans viuere, aperienda est, & infanti, si viuus extiterit, baptismus ministrandus. Atque ita docent Suar. *3. p. q. 68. art. 11.* Egid. de Coninch. *ibi.* Bonac. *disp. 2. q. 2. punct. 6. à principio.* Paul. Laymann *lib. 5. tract. 2. cap. 3. q. 1.*

3. Præterea fide stabilitum est quolibet hominem, quomodocumque ex vtero matris procedat, statim capacem esse baptismi, quia capax est ablucionis sub præscripta forma verborum. Neque opus est expectare rationis vsam. Sic definit Trident. *sess. 7. can. 3.* colligiturque ex illo Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Quæ verba communia sunt infantibus, & adultis. *Item Actorum 16. n. 15.* dicitur Paulum Lydiam, & domum eius baptizasse. *1. Corinth. 1. n. 16.* baptizauit Stephanæ domum, seu familiam: in quibus verisimile est plures infantes fuisse, & consequenter baptizatos esse. Adde consuetudine Ecclesiæ id firmatum esse. Ratio ea est, quia Christus Dominus quantum est ex se vult omnes homines saluos fieri, illisque sua merita, & passionem applicari. At hæc voluntas comparatione infantum effectum obtinere non potest, nisi medio baptismo, siquidem voluntatem